



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres**

**Tylkowski, Wojciech**

**Oliva, 1686**

XI. Quia multùm auxiliatur detentis in purgatorio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

gisseque, ut nos illius vindex iustitia æternis statim flammis manciparet. Annie actori dæmoni Judex, jamque prolata sententia executio erat in proximo; at qua tu B. Virginis pensum persolvebas, ipsa pro te apud Judicem stetit, ad cuius preces tuum exitum distulit; meum verò statim fieri iussit, quare me egredientem ex illa domo infelicissima, dæmon invasit, & interemit: animam in profundum abyssi moravecturus; me verò ne tibi verba dare arbitraris, ecce tormenta quæ patior, simul togam diducit, vermes igneos, serpentesque ostendit, & fatore horribili relicto, dispersavit. Tum alter provolutus in genua, gratias SS. Virgini reddidit, primoque manè Guardianum PP. Franciscanorum adiit, remque omnem enarravit, atque ut fides haberetur, ad cadaver focij terribili plenum odoris deduxit.

### 11. Quia multum auxiliatur detentis in purgatorio.

Optimè *S. Vincentius Ferrerius serm. 2. de Nativit. B. Virginis.* Maria bona erentibus in purgatorio, quia per eam habent suffragium. Quod ipsum pluribus *S. Bernardin. serm. 3. de glorioso nomine Maria art. 2. cap. 3.* B. Virgo in regno purgatorij dominium tenet. Propterea inquit *Eccles. 24. Et in fluctibus maris ambulavi.* Penam siquidem purgatorij dicitur fluctus, quia transitoria est, sed additur maris quia amara. Ab his tormentis liberat B. Virgo maximè devotos suos, & hoc est quod ait, in fluctibus maris ambulavi, scilicet visitans & subveniens necessitatibus, & tormentis devotorum meorum; imò & omnium qui ibi existunt, quia Filij sunt, cum sint filij gratia. Sed major testis *Christus Dominus*, qui apud *S. Brigitt. lib. 1. Revel. cap. 16.* vocat Virginem Consolationem eorum, qui sunt in purgatorio. Et ipsa *S. Virgo ibid.* ut *Divus Carthus. refert lib. 3. de laud. B. Virg.* ita loquitur. Qui in purgatorio sunt, gaudent meo nomine audito, quemadmodum æger jacens in lecto, cum audit verbum solati. *Blosius lib. 13. Monialis ex S. Brigitt. Revel.* hæc narrat. Audivit S. Brigitta ipsam Virginem Dei Genitricem dicentem. Ego sum Mater Dei, & Mater omnium qui sunt in purgatorio, quia omnes pænæ, quæ debentur peccatis eorum, per preces meas quolibet horâ quomodocunque mitigantur.

Et eadem *S. Brigitta* refert, cum *Christus D. Matri* proposuisset ut peccet quidquid vellet, quòd Mater oraverit in hunc modum. Qui in purgatorio sunt, indigent triplici misericordiâ, quia tripliciter affliguntur. Visu, quia nihil vident, nisi miseriam suam. Turbantur quoque auditu, quia nihil audiunt, nisi dolores pænæ, & miserias. Affliguntur tactu, quia sentiunt calorem ignis intolerabilis, & gravis pænæ. Da eis Domine mi & Fili misericordiam tuam propter preces meas. Respondit Filius. Libenter propter te dabo illis triplicem misericordiam. Primum auditus eorum allevabitur, visus mitigabitur, pænâ remissior & mitior erit. Insuper



quicumque ab ista hora sunt in summa pœna purgatorij, venient ad mediam, & qui sunt in media venient ad levissimam, qui autem in levissima pœna, transibunt in requiem.

Eadem S. Mater *ibidem* lib. 4. cap. 13. sic locuta. Mater sum omnium qui sunt in purgatorio, quia omnes pœnæ quæ debentur purgandis, pro peccatis suis, in qualibet hora propter preces meas quodammodo mitigantur, ita placet Deo, ut aliqua ex his quæ debentur eis de rigore Divinæ justitiæ minuantur. Et lib. 6. cap. 10. Nulla pœna est in igne purgatorij, quæ propter me non remissior erit, & levior ad ferendum, quàm aliàs esset. Plenum solatij *Petrus Damian. lib. 3. epist. 1072.* narrat. Recurrente festo Assumptionis B. Virginem solere ad purgatorium descendere, & multos pœnis eximere, quod ipsum *ibidem* 10. sequenti exemplo ostendit.

Die Assumptionis B. Virginis Romæ contigit, ut quædam mulier viderit in templo suam commatrem jam ante annum mortuam, interrogavitque, an illa verè esset? eâ verò annuente, ulterius quæsit, quid esset de illa factum? dixit mortua se fuisse in purgatorio detentam usque ad illam diem, quâ per interventum D. Virginis, & ipsâ, & tanta multitudo quæ superet multitudinem plebis Romanæ liberata est. Cum verò viva dubitaret de narratione mortuæ, mortua in confirmationem rei dixit viventem illâ ipsâ die post annum morituram. Tempore prædicto advenit mors, sed non imparatæ.

Hanc miserationem S. Virgo adhuc cùm in terris esset exercuit erga hujusmodi animas. Nam ut in *umbra Virginea docet Navarin.* ex bonæ notæ Authoribus lib. 4. Virginem moram petiisse à Filio ut ipsa in cælum itura omnes animas secum ex purgatorio educeret. Et asserit prædictus Scriptor idem quotannis festo Assumptionis evenire. Quod etiam idem contingit & die, quâ Deum genuit. Et ut scribit *Dion: Carthus. serm. 2. de Assumpt.* patet ex historia sequenti. E duobus caris amicis decepsit unus circa festum omnium Sanctorum, superstes verò dolori totus non auxilio vacabat erga defunctum. Apparuit illi defunctus post festum nati Christi, inutiles exprobravit lachrymas: & adjecit. B. Virgo singulis annis in festo Nativitatis Christi ad purgatorium descendit, & multas animas inde educit. Sperabam & me ab illa tuis precibus exorata liberandum, sed non orâsti: verum etiam solet nocte Resurrectionis descendere, rogo nè cesses pro me illius clementiam exorare.

## 12. Quia illius cultus nota est electionis ad gloriam.

Id testatur *Græca Ecclesia verbis Joseph Confessoris in Meneis Jan. 3. odè 5.* Omnibus in laudem tuam ô Virgo effusis, animæ salutem largiris præmij loco. Et 4. Jan. *ode 9. ex eodem.* O Genitrix Dei, illorum omnium salus, quotquot assiduus tibi vocibus